Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Que omnia cum a platone summa cum diligentia ac ratione
vt premisimus scripta animaduertere / Visum est tue dignitati
in primis recensere / non quod ea tibi ignota fore existimem / sed
vt quam ego voluptatem scribendo cepissem tua pariter legendo
sublimitas acciperet.

Pro Candidi decembris oratoris in libro pollicie platonis
sexto ad preclarissimum et eruditissimum presulem Alfonsum
hispanum burgensem episcopum prefatio incipit feliciter

Magnum beniuolencie et caritatis exemplar
michi prestitit illustrum munus tuum Alphonse
pater et decus nostrum vt nisi te summopere diligam
et colam omni profecto gracia et pietate
videar indignus Nam quamquam tua humanitas iam pridem
michi habunde perspecta sit et cognita / tum uel maxime
notior facta est ex quo non meam solum / sed multorum
ignoranciam tam benigne tibi succensere passus es /
nos quoque pocius ab errore nostro restipiscere / quam correctionis
tue ferula concidi maluisti. Habes igitur me pater
optime propter tuo deuinctum habebisque vt poeta inquit
dum spiritus hos reget artus Sed quamquam multa ac preci
pua in me beneficia tua / non modo mente meam obliga
rint sed ob noxiam insuper effecerint dignitati tue ni
chil est tamen quod magis admirer / et honore prosequendum
esse putem / quam quod tam corpore prestantissimus et optimis viris
afficeris vt nichil eorum operibus tibi gracius aut iocundius
possit afferri Cum celestem itaque platonis policiam
celesti et vere gloria digno principi duci Cloucestrensi
nuper transtulissem / memor virtutis tue ac digni
tatis / quidque amicicia nostra meretur animo contemplans
partem diuini preclarique laboris tibi inscribere decreui vt
non modo meritas tue in nos beniuolencie laudes resti
tuerem / sed te illi literis in mortalitate que coniungerem